



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

A Clemente XI. Ad Benedictum XIII.

**Luxemburgi, MDCCXLI.**

102. Cum nos Civitatem &c. Prohibitio extrahendi Libros & scripturas ex  
publicâ Bibliothecâ nuper à Sanctitate Sua in Conventu Fratrum Ordinis  
Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74859](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74859)



ANNO  
1720.  
C I.

CONCESSIO

Indulgentiæ plenariæ perpetuæ omnibus utriusque sexus Christianis fidelibus visitantibus Ecclesiam Conventualem Militiæ Aureatæ Constantinianæ, B. Mariæ della Steccata nuncupatam Parmen. in Conceptionis, & Annunciationis ejusdem B. Mariæ Virginis, nec non Sanctorum Georgii, & Basilii festis diebus, ad supplicationem Serenissimi Francisci Farnesii Parmæ, & Placentiæ Ducis, ac præfatæ Militiæ Magni Magistri.

CLEMENS PAPA XI.

Universis Christianis fidelibus presentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem.

**A**D augendam Fidelium religionem, & animarum salutem cælestibus Ecclesiæ thesauris pia charitate intenti ac supplicationibus dilecti filii Nobilis Viri Francisci Parmæ, ac Placentiæ Ducis, & Magni Magistri, seu perpetui Administratoris Militiæ Aureatæ Constantinianæ sub titulo Sancti Georgii, & Regulæ Sancti Basilii Magni nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinari; Omnibus, & singulis utriusque sexus Christianis fidelibus verè poenitentibus, & confessis, ac Sacrà Communione refectis, qui Ecclesiam Conventualem Beatæ Mariæ della Steccata nuncupat. Parmen. prædictæ Militiæ, in Conceptionis, & Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis Immaculatæ, ac eorumdem Sanctorum Georgii, & Basilii festis diebus à primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Mariæ Ecclesiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quâ die ex prædictis id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & largimur; Præsentibus perpetuis futuris temporibus valiturs: Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die xv. Junii MDCCXX. Pontificatus nostri Anno vigesimo.

F. Card. Oliverius.

C II.

PROHIBITIO

Extrahendi libros, & scripturas ex publicâ Bibliothecâ nuper à Sanctitate Sua in Conventu Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium nuncupatorum Civitatis Urbinantis institutâ, cum licentiâ in ea retinendi, & asservandi quoscumque libros prohibitos.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

**C**UM Nos Civitatem nostram Urbinaten., in qua nati, educati, & à primis ætatis nostræ annis instituti fuimus, quamque propterea singulari paternæ charitatis affectu in Domino complectimur, amplioribus in dies beneficiis, & gratis ornare cupientes, ac ad illa potissimum, quæ majorem ei utilitatem, & fructum afferre possunt, Pontificiæ nostræ largitatis intuitum dirigentes, publicam Bibliothecam in Conventu Fratrum Ordinis Minorum Sancti Francisci Conventualium nuncupatorum dictæ Civitatis ad usum,

& commoditatem eorumdem Fratrum, ac Civitatis, & Incolarum quorumcumque ipsius Civitatis, nec non Studioforum ad universitatem Studii generalis in eadem Civitate erectam confluentium instituerimus: non modicâ pecuniarum summa per Nos in id opus erogata, præsertim in constructionem fabricæ ejusdem Bibliothecæ; Eamque non modò scriniis, seu forulis nucæo ligno decenter elaboratis, ac filo æreo reticulato munitis, verum etiam plurimis Codicibus ad omnes propè scientias, & artes tum liberales, tum mechanicas spectantibus, sive per Nos emptis, sive è domesticâ nostrâ Bibliothecâ extractis, qui ultra nonnullos in antiqua dicti Conventus Bibliothecæ existentes, ac alios plures, quos bo. mem. Alexander Fidelis, dum viveret, Episcopus Æfinus ejusmodi nostræ in suam æquæ, ac nostram Patriam benefica voluntatis probè conscius, in supremis tabulis dispositioni nostræ hoc consilio reliquerat, in scriniis hujusmodi jam collocati, & congruè dispositi reperiuntur, instrui fecerimus; illisque nuper etiam alios Codices præsertim ad artem medicam pertinentes quos quondam Joannes Maria Lancisius, dum vixit, Cubicularius, & Medicus noster secretus, propenso in eandem Patriam nostram animo, dictæ Bibliothecæ legaverat, addi iussimus; quinimò etiam in posterum eandem Bibliothecam aliis Codicibus, seu Voluminibus, dum benedicente Domino vita suppetet, augere intendamus, ad hoc, ut exinde memorati Fratres, Cives, Incolæ, & Studiosi bonarum, ac præsertim Sacrarum literarum, laudabiliumque disciplinarum studiis commodius, ac impensius vacare, uberiorisque in eis progressus facere valeant: Sicque ad sectandam vestigia tot illustrium Virorum, qui in prædictâ Civitate omni doctrinæ genere ante hæc eximie flourerunt, ac permultis in lucem editis operibus plurimum ei decus, ac ornamentum attulerunt, vehementius excitentur.

§. 1. Nunc verò conservationi, manutentioni, & incremento dictæ Bibliothecæ, quantum cum Domino possumus, benignè consulere velimus; idcirco Motu proprio, ac ex certâ scientiâ, & maturâ deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ne quisquam cujusvis gradus, status, ordinis, præminentiæ vel dignitatis existat, aut quocumque officio, auctoritate, vel superioritate fungatur, libros, codices, quinterna, folia, chartas, scripturas, & volumina quæcumque, tam typis impressa, quam manuscripta, hactenus à Nobis, vel aliis, ut præfertur, donata, & assignata, seu in posterum per Nos, & alios quoslibet quancumque donanda, & assignanda, ex ipsa Bibliothecâ sub quovis quæsito colore, prætextu, capite, vel occasione extrahere, vel asportare, seu, ut extrahantur, vel asportentur, permittere, aut consentire audeat quovis modo, seu præsumat, sub excommunicationis lætæ sententiæ, à qua non nisi à Nobis, & pro tempore existente Romano Pontifice absolutionis beneficium, præterquam in mortis articulo constitutus, impetrare possit, & quoad Regulares etiam privationis vocis activæ, & passivæ, eo ipso absque aliâ declaratione per Contrafacientes incurrendis pœnis, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium perpetuè prohibemus, & interdiciamus.

§. 2. Præterea, ut in Bibliothecâ præfatâ quorumvis etiam Hæreticorum, & Hæresiarcharum, aliorumque reprobarum Authorum cujuscumque Sectæ, & Classis, etiam primæ, & ex quacumque causâ, etiam ob falsi dogmatis suspitionem, à Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris, ac etiam in quibusvis Conciliis generalibus, nec non etiam à Nobis, & Sede Apostolicâ quomodolibet prohibiti, & damnati, ac à Nobis, Suc-

Ex libris col-  
latis partim  
à sua Sancti-  
tate, partim  
verò à R. P.  
D. Fideli E-  
piscopo Æfi-  
no, & Lan-  
cisco Medico  
Pontificio.

Verat sub  
pœna ex-  
communica-  
tionis ne  
quæcumque  
volumina ex  
ea extrahan-  
tur.

Ibidem resti-  
neri indulget  
quoscumque  
libros dam-  
natos: ita ta-  
men ut qui de  
fide tractant,  
sub clavi cul-  
todiantur.

cesso-

Exordium à  
Pontificia  
charitate er-  
ga Urbinum  
Patriam  
suam.

Publicam ibi  
Bibliothecam  
instituit  
in Conventu  
S. Francisci.



cessoribusque nostris Romanis Pontificibus, & dictâ Sede in futurum forsan prohibendi, & damnandi libri, manuscripta, & opera tam hæcenus in lucem edita, quam in posterum edenda, seu scribenda quæcumque, etiam si ex professo, & in capite de Religione, & Fide Catholica, seu contra Religionem, & Fidem eandem tractent, in ipsâ Bibliothecâ hæcenus collocati, & collocata, ac in posterum quandocumque collocandi, & collocanda retineri, haberi, & asservari, liberè, licitè, & impunè, ac absque ullo conscientie scrupulo, & quarumcumque Ecclesiasticarum sententiarum, & censurarum, vel aliarum pœnarum, etiam irregularitatis, infamie, aut inhabilitatis incurfu possint, & valeant, ita tamen, ut libri, scripta, & opera præfata omnia, ac illa præsertim, quæ de Religione, & Fide, vel contra Religionem, & Fidem Orthodoxam tractant, seu tractabunt, in aliquo separato ejusdem Bibliothecæ loco clausi, & clausa, ac secretò, & sine cuiusquam scandalo, vel periculo sub clavi retineantur, nec à quoquam accipi possint nisi de manibus Bibliothecarii, vel Custodum nunc, & pro tempore existentium, qui illos, seu illa legendos, seu legenda nemini præbere audeant quovis modo, seu præsumant, nisi prius sibi confiterit, quod illos, seu illa petentes opportunam super eorum lectione à Sede præfata licentiam sibi concedi obtinuerint, motu, scientiâ, & potestatis plenitudine paribus, harum serie, concedimus, & indulgemus.

Decretum irritans cum clausula subblata.

§. 3. Decernentes easdem præsentis literas firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suoque plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus & per omnia plenissimè suffragari, & ab iis respectivè inviolabiliter observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam Generales Inquisitores, & de Latere Legatos, aliove quoslibet quæcumque præminentiam, & potestate fungentes, & functuros, sublatâ eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate & auctoritate judicari, & definiti debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio quibuscumque contrariis.

§. 4. Non obstantibus quibuslibet Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque Conciliis editis & edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non prohibitionibus desuper factis, & in posterum quomodolibet faciendis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis & insertis habentes, illis aliâ in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum specialiter, & expressè, ac latissimè derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Mandat exemplum harum literarum perpetuo affixum remanere valvis d. Bibliothecæ.

§. 5. Volumus autem, ut præsentium literarum exemplum in valvis dictæ Bibliothecæ, aut alio conspicuo illius loco, ubi ab omnibus cerni, & legi possit, affixum assiduè remaneat. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Anulo Piscatoris die xii. Julii MDCCXX. Pontificatus nostri anno vigesimo.

F. Card. Oliverius

RELAXATIO

Et Revocatio suspensionis Cruciatæ Sanctæ, & aliarum Gratiarum pro Hispaniarum Rege Catholico.

CLEMENS PAPA XI.

Ad futuram rei memoriam.

**A**liàs Nos Indulgentias illas, & gratias, tam spirituales, quam temporales, quæ olim ad certum tunc expressum tempus cl. me. Philippo II., aliisque successivè Hispaniarum Regibus Catholicis, nec non omnibus, & singulis Christianidelibus in Regnis, & Dominis Hispaniarum, ac illis adjacentibus Insulis consistentibus & ad illa declinantibus, qui certa munera adimplevissent, à diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris sub certis modo, & forma tunc expressis concessæ, & pluries de sexennio in sexennium prorogatæ, ac deinde primò quidem à fel. rec. Urbano VII. postea verò etiam ab aliis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris quad licentiam vescendi ovis, & lacticiis tempore quadragesimæ pro personis Ecclesiasticis Sæcularibus tunc expressis extenæ, & ampliata; ac de sexennio in sexennium sæpius prorogata fuerant, Charissimo in Christo filio nostro Philippo V. earundem Hispaniarum Regi Catholico, & aliis Christianidelibus supradictis similiter ad sexennium à fine alterius sexennii ultimò prorogari numerandum extendimus, & prorogavimus; Concessiones itidem tam annui Subsidii quadringentorum, & viginti milium ducatorum ex Fructibus, & redditibus Ecclesiasticis univèrsarum Hispaniarum, quam Primæ Decimæ in omnibus, & singulis Parochiis in prædictis Regnis, & Dominis, ac Insulis eisdem Regnis adjacentibus consisten. eidem Philippo II. Regi ab hac Apostolica Sede ad certum itidem tunc expressum tempus factas, ac subinde pluries tam ipsi Philippo II. quam aliis successivè prædictarum Hispaniarum Regibus Catholicis de quinquentio in quinquentium similiter Prorogatas, ampliatas & extensas memorato Philippo V. Regi ad quinquentium tunc proximum similiter extendimus, & prorogavimus; Et nihilominus ipsas Indulgentias, & gratias tam spirituales, quam temporales eidem Philippo V. Regi, & aliis Christianidelibus prædictis ad sexennium; Subsidium verò annuum quadringentorum, & viginti millium ducatorum, ac Primam Decimam hujusmodi ad quinquentium respectivè per diversas nostras in simili forma Brevis, nempe die viii. & die xiii. Octobris 1714. nec non binas die prima Januarii MDCCXVI. desuper expeditas literas de novo concessimus, & indulgimus; Præterea ipsi Philippo V. Regi per alias nostras in eadem forma Brevis die xiv. Martii ejusdem anni MDCCXVI. expeditas literas, assignationem omnium fructuum, & reddituum, nec non pensionum super iis reservandarum unius integri mensis omnium Cathedralium, & aliarum Ecclesiarum, Monasteriorum, & Beneficiorum quorumcumque Ecclesiasticorum de Jurepatronatus, sive ad nominationem ejusdem Philippi V. Regis tantum, ac in prædictis Regnis, & Insulis adjacent. existentium à memorato Urbano Prædecessore claræ itidem mem. Philippi IV. dum viveret earundem Hispaniarum Regi Catholico ad certum etiam tempus factam, & successivè ab aliis Romanis Pontificibus pariter Prædecessoribus nostris, imò etiam à Nobis prorogatam ad quinque annos tunc proximos tantum similiter prorogavimus, & extendimus, seu de novo concessimus:

Exordium ab enumeratione gratiarum ac Indulgentiarum à Sede Apostolica Regi Catholico concessorum, & prorogatorum.

Cruciatæ sanctæ.

Subsidii quadringentorum viginti millium ducatorum.

Primæ decimæ.

Assignationis unius integri mensis fructuum omnium Ecclesiarum, & Beneficiorum de Jurepatronatus Regio.